

pellatium & proprium nomen est, quemadmodum etiam Adami, & Filium primogenitum Chami significat, & posteros eius, partim Aethiopes corpore nigro, partim quosuis alios, tum maximè principes, non tam corpore, quàm animo nigros, qualis erat Saulus iuxta Dauidem, Psalmo septimo: in quos vel Lyrici illud quadrat, Hic niger est, hunc tu Romane caucto. Natura licet in Chamia siue Chamesia, quæ Africa est, eodem sole vtatur quo in Athlantide seu Nouo orbe aut Ophir vtitur, in Africa tamen omnes ferè nigerrima cute personas facit, nullas autem tales in Athlãtide. Quod ipsū satis arguit, nigredinem hanc externam non solis æstu aut regionis intemperie Aethiopibus impressam esse, sed maledictionis in Chamum irrisorē filium à Noachō pronuntiatae notam extitisse. Nam & cœlum & Naturalis ratio conueniunt. Quum omnes priscorum Regnorum Inaugurationes fierent Arietis (quem Galli aptè Bellier, quasi bellatoriū signū vocāt) vellere aureo (vnde locus fabulæ) super Horizontem ascendente: Septē Planetarum idoneo congressu, vel situ, ad stellarū fixarum perpetuum statum, accomodato, contingit illis, qui in media Aethiopia sunt, habere vtrunque polum in Horizonte, dum nigrorum hominum Regnum seu Cassiopea Respub. cuicunq; tandem regi subijciatur, inauguratur. Inter stellas enim clariores, quæ super Horizontē veniunt, oriente Ariete (vbi nūc sunt Pisces ad viginti septē vsq; gradus propellēdo anteriores.) prima apparet Cassiopeia, Cephei regis vxor. Postea Cepheus, qui petra & basis Regni erat. Et vt tota historia Aethiopica in vna vicinia collocaretur, paulò longius à polo ipse Perseus liberator successoris filiæ Andromedæ, & ipsa Andromeda in imaginib. coniunguntur. Cū igitur Chamo forte Africa obtigisset, in eius medio regni sede constituta filij sedē inaugurare voluit, oriente

Ariete